



Sigismundus ille filius fuit Gūdobaudi regis Bur-
gundionum, qui ex Germania profecti Rhe-
num superarunt, & in finibus Gallie confederunt.
Patre autem eius uita functo ipse in regno succes-
sit. Erat autem ipse religionis & pacis studiosissi-
mus. itaque omnem operam adhibuit, ut Christia-
na religio passim plantaretur, atque ministris Ec-
clesiarum commoda uictus ratione prouideretur.
hinc factū ut passim Ecclesias fundaret, atq; mul-
tis prædijs & donis ornaret. In primis autem cele-
bre illud S. Mauritiij collegium ad Agaunum con-
stituit, atq; uiris doctis & pijs impleuit. Eo autem
tempore, anno scilicet quingentesimo decimo se-
ptimo mortuus erat Clodoueus primus Christianus Francorum rex, qui qua-
tuor filios reliquerat, Theodoricum, Clodomirum, Clotarium, & Chilbertū.
Illi statim regni sui fines promouere, atque finitimos subijcere cœperunt. Ita-
que contempta pietate Sigismundi magnis copijs eius ditionem uastarunt.
Cum autem Burgundiones hostem repellere conarentur, à Francis cessi & fu-
gati sunt. In ea trepidatione Sigismundus cum uxore & liberis sese ad Dei mi-
nistros Agaunum contulit. Verū Clodomir eum insecutus cum tota fami-
lia cepit, atque secum in Galliam captiuum abduxit. Intercedebat tum Aui-
tus præsul Aurelianus apud regem, qui summis precibus contendebat, ut pi-
us ille Burgundionum rex dimitteretur. Verū frustra laborabat. Nam Fran-
cus eundem cum uxore & liberis crudeliter interfecit, atq; eorum corpora in
puteum coniecit, atque hac ratione Burgundiones ad Francos perueniunt.